FLORES SUPER TUMULUM
VIRI
Honoratissimi, Solertissimi, Integerrimi, plurimoq́;
rerum usu præstantissimi,

DN. FRIDERICI
ZILMERI
b. m. Civis & Mercatoris quondam Reip. Stetinens. Primarij:
QUI
Natus anno 1576. 26. October, denatus anno 1634. 3. Februarij inter 5. & 6. pomeridianam, 10. ejusdem Mensis pijs & consuetis Christianorum Ceremonijs, in Æde Jacobæo tumulabitur

A Studiosâ illustris ibidem Lycéi juventute sparsi.

STETINI, *Literis* GEORGII GOETSCHII.

Siccine, trans pontum Boreæ damnata sub axe
Visere qui poteras arva, relinquis humum?
Siccine, qui poteras pharetratos sępè Gelonos
Visere, jam mortis falce necatus abis?
Nonnè placet vitam longos agitare per annos,
Vir pietatis amans, dexteritate gravis?
Usq; adeò multis arx & spes rebus in arctis
Infelice feri sidere Martis eras.
Linquendã ducis, quâ nil nisi mœror acerbus,
Anxietas animi, cumq; labore dolor.
Inde, quod est meliꝰ longè, magis eligis, optas,
Et tibi nunc aptas, cœlica regna petens.
O exantlatis curis, multisq; peractis
Annis, ter felix cum Simeone migras!
Gaudia nũc captas nunquã moritura perennis
Vitæ cum Sanctis omnibus, arce poli.
Da qVęso, In terrIs sãCtè Vt VIVaMVs, IësV:
Vt qVãDoqVe MorI VIta CVIqVe sIet.

Linquendam ducis, quâ nil nisi bella, tumultq; impietas florent, sors inimica furit.

In contestationem seriæ συμπαθείας apponebat

Georgius Thomæ Perleb. M.

MORS ITER EST AD VITAM LÆTAM.

M ORS ITER EST Nobis AD LÆTÆ gaudia VI-
TÆ,
O mnes qvod qvoq; confirmant pietatis alumni.
R ebus enim fractis optant sentiscere mortis
S picla, nec ullus amat Tithonia vivere secla.
I d qvod præ reliqvis etiam pius Accola noster
T estatur, qvando ex impuro carcere Mundi
E gressus patrium properavit visere limen.
R ara qvidem est avis antiqvæ virtutis alumnus
E xtremô hoc Mundi seniô, qvô crimina cuncta
S tant in præcipiti, sceleratag; vivitur ætas;
T uta fides nusqvam, sed abundè fraudis ubiq;.
A t fuit heu! Nostro Friderico nomen & omen;
D um fructus fecit dignos se, & nomine Christi,
V irtutes & justitiam est sectatus, amara &
I urgia detestans, commissæ tædia culpæ
T raxit mente suâ, coluitq; fidemq; piumq;.
A Christo iccirco felici in pace solutus
M agna capit dudum sperati gaudia cœli;
L ætificoq; Dei celebrat pia nomina cantu,
Æ thereis cœlestûm animis acceptus in ævum.
T u funesta domus deplores corporis umbram,
A gnoscasq; Dei supremi mira statuta, [TÆ.
M ORS qvòd ITER LÆTÆ sit ad aurea secula VI-

Παραμυθίας ergo scribebat συνεπηθανάτῳ

Balthasar Mathesius Lausig.-Mis.

HEu dolor! Heu lacrymæ! Mors demetit omnia falce
Parcere nec cuiquã ferrea Parca potest.
Sive sit obscuro, vel claro sangvine cretus
Sive *Senex*, Juvenis, *Mors rapit omne genus.*
Corpore namq; sumus firmo, mox lumina nostra
Heu dolor! heu fatum! contumulantur humô.
Scilicet incerti vitæ, mutamur in umbras,
Et Mortis feritas nos cita falce necat.
Exemplo nobis confossus acumine Lethi
Fridricus Zilmer, vir pietate pius.
Pacis amans, multis rebus fiducia, priscæ
Cultor honestatis, justitiæq; fuit.
Qui licet annosus fuerat, multoq; labore
Complêrat vitæ quæ data fata suæ.
Attamen haud paucis est mors lacrymabilis, atq;
Visa nimis celeri deproperare gradu.
Sic habet, omne bonum Libitinæ tempora carpunt,
Quod natum, leges, *ut moriatur*, habet

Tu tamen in vitâ nunc es meliore superstes
In te mors potuit juris habere nihil.
Desino plura loqui: Salve venerabile corpus,
Dum mundi triplex flamma resolvet opus.
Sit tibi terra levis, tua molliter ossa quiescant
Sitq; tuo Cineri paxq; soporq;, vale.

In justa συμπαθείας σημεῖον deprop.

LAURENTIUS ANGELLIUS
Cöslino-Pom.

Vita mari similis; curarum fluctuat æstu,
Omne quod est, tellus Dædala quicquid habet:
Navita homo tumidis ævi jactatur in undis;
Illius Fatum ventus & unda vehit.
Hic brevibus perit absorptus, quem flore juventæ
In medio demit cymba Charontis humo.
Alter & immiti & spaciosâ tunditur undâ,
Nec portum votis invenit ille suis.
Tertius illidit, faustâ dum navigat aurâ,
Securumq; nigræ mittit arena neci.
Prò mare vita malum! nonne es Zilmere beatus,
Quod tutâ figis jam statione ratem?

GEDEON STROTZKY
Colbergâ Pom:

A rerum

A Rerum DOMINO neqvaqvam pallida, curvâ
Corpora falce metens pariter Juvenūq; Senumq; ,
MORS introducta est, ut supplicij sit acerbi
Caussa: Sed ut sit curarum Finis Requiesq; :
Et Nos â curis solvat turbisq; molestis.
Propterea, Finem quia curis adjicit, Illam
Optemus cupidè toto de pectore CUNCTI.
Sed quia cœpisti duros finire Labores
Lethô ZILLEMMERE, gravem de pectore vocē
Turbatô DOMUS emittet, gemitusq; stupēdos,
Viciniq; simul miseris ploratibus ædes
Implebunt: Sed Tu placidè qvia ad Ætheris Aulam
Ductus, non opus est miseras iterare qverelas.
Este ergò MEMORES, cur Vos vivatis in Orbe:
Omnes ut sanctam ducatis, credite, Vitam.

Apponebat
Heinricus Bussenius Lüchoviensis
Lunæburgicus Saxo.

SIracides quo non vixit prudentior alter,
Codice descripsit talia verba suo:

Una

Una manet cunctis obeundæ semita mortis,
Seu veniat tardo seu celeri illa gradu,
Nox manet una omnes & inevitabile fatum,
Quæ fas est nulli transiluisse viro.
Hanc quoq; chare viam SENIOR tu mortis adîsti,
Claudens in patrio lumina fessa solo.
Hoc tamen est melius, quam si te barbara tellus
Ignotum vili supposuisset humo.
Hic PROLES manibus morientis pressit ocellos,
Inq; tuo cineres ultima dona tulit.
Hîc te Cognati: sed non plorasset Iberus.
Hîc tibi parta fuit: non ibi certa domus.
Hîc tumulo properant superaddere Carmina amici,
Et signare brevi talia verba sono.
Ossa quieta SENIS placidâ requiescite in Urnâ
Extremoq; die surgite prompta solo.

Condolentiæ ergò Apposuit
Christophorus Barthesius
Colbergâ Pom.

EN iterum SENIOR magni tibi causa doloris,
Nobile Sedinum, morte peremptus obit.
Multorum mores hominũ qvi vidit & Urbes,
Camposq; Eoos, Hesperiasq; plagas.

En

En iterum cecidit *Columenq; decusq; Virorum*
Plangito Sedinum, Civica plange Cohors.
Plange, tuumq; simul casum miserare futurũ:
Nam tenet immotam Pagina sacra Fidem.
Cùm moritur JUSTUS, DEUS hunc venientis ab Iræ
Abscondit facie, quæ nocitura venit.
ROCHLITIUS cum LABESIO nuperrima mortis
Sunt tela experti, ZILMERIUS sequitur.
ZILMERIUS sequitur, PIETATE ANTIQVUS & ÆVO,
QVO NON IN VITA JUSTIOR ALTER ERAT.
Iratumné tibi sentis URBS INCLUTA Numen?
Cùm rapiat TANTOS mors inopina VIROS.
Ergò DEUM supplex noctesq; diesq; precare,
Ut ferat auxilium largus ab axe tibi.

Συμπαθῶν *app.*

ERNEST. HOGENHOLT. U. P.

Fertur in his terris heu! heu! per tela, per ignes
Mortalis, *donec fertur in Elysium.*
Dicite Christicolæ dictu miserabile: quem non
Hic vicibus duris SORS inimica premit?

Infans in partu mala sentit nubila Sortis:
Et Juvenem *gravibus SORS premit atra malis:*
Grandævus Senior *dicit:* Mala multa fatigant
Membra. ô si jubear claudere morte diem!
Aspice Zilmerium *nunc* Mortis *falce resectum,*
Hic nimis afflictus semper & æger erat:
Hic mores hominum multorum vidit, & urbes,
Multa tulit, fecit, sensit ubiq; mala:
Perq; dies multos noctesq; simillimus umbræ,
Ancipiti jacuit conditione necis.
Hic hausit sanè plenum cratera malorum,
Atq; tulit Christo triste πάθημα *crucis.*
En nunc post varios casus, diræq; procellas
Fortunæ, subijt regna beata poli:
Parcite nunc lacrymis: Per tot discrimina rerum
Tendit in Elysiæ regna beata plagæ.
Perpes ubi requies est, ac æterna voluptas,
Perpetuus splendor, gaudia, risus, amor:
Nullum ubi morborum genus est, ubi nulla fatigat
Cura animos. Mœsti sistite lacrymulas.

Condolentiæ testandæ ergò
mœstus app:

SEBASTIANUS RHEUVENDUS:
Zechl: March:

Affi:

AFfinem Affini ceu congaudere decebit
In rebus lætis, ſic & junxiſſe dolores
Condecet Affines in rebus triſtibus, Ergo
Jam tibi condoleo Affinis, cum funera chari
Proſequeris patris lachrimarum flumine fusô.
Quod tamen obſtruxiſſe velis ſolamine, Fati
Quod vis abſtulerit morbis urgentibus illum,
Trāstuleritq; illuc, ubi morbi tormina ceſſant,
Nimirum ad ſuperi ſtellata palatia Regis.

Condolentiæ & conſolationis ergo lugens fundebat

Gottfridus VVerdermannus.

